



108.

14
15

108.



INDEX DISPUTATIONUM

XII Disput. vide p. 4
sub Praesidio S. Frid. Bal
duini.

13 De verbis testamenti Iesu
Christi filii Dei, hoc est
corpus meum, hoc est sanguis
meus Pr. Balduini.

14 De Prae destinatione
Pr. D. Jos. Gerhardi

15 Oratio De Friderico Myco,
nio Theologo constantis. et
primo Thuringorum Evangelista
Abte D. Ant. Brubo

16 De Dei et Christi Oratio
no Mediatoris nostri, apud
creaturas gubernandas
universali et speciali pre
sencia. D. Bal. Mentzner
D. Iust. Feurbornii etc
quomoda[m] tractatione. etc.

17 Absterfio Calumniarum
Ioh. Cocceii. Pr. Balb.
Mentzneri.

18 De Baptismo conclusionibus
comprehensus. Pr. D.
Petri Piscatoris.

19 De persona Iesu Christi ser
vatoris nostri Pr. D. Ambro.
Reudenio

20 De Baptismo initiationis
Sacramento Pr. D. Georgii
Mylly.

21 De visitatione eccle
siastica Pr. D. Georgii
Mylly.

22 Caroletadius redivivus
Centra Calvinianos Pr. D.
Georgii Myly.

23 De verbo Dei scripto,
et traditionibus non
scriptis. in Disputatione
X distributa. sub Praes.
D. Leonhardi Huteri.

Indice decem Disputationum
vide p. 2. in disp. 1.

34 Erenologia de obitu
Principis Friderici Wilhelmi
Hutere D. Georgio Myly.

35 Panegyris Actus Doctorei
iur. consulti etc Ioh.
Stigeli etc. de inaugu
ratione Acad. Salanae.

36 Modus inveniende Concordiae
in contrav. De electione ad
vitam a Sen. Hubero D.
2 in morte Principis Saxoniae

37 Ad Tragediam Virgilianam
de Aenea et Lavinia

38 166 Selectiones Epistolae D.
P. Melanesthonis ad S. Frid.
Myconium conscriptae et

39 De Viresancto Martino
Lutbero.

40 Votum nuptiale



DISPUTATIO THEOLOGICA V. 29

De

PERSPICVITATE
Scripturæ,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri

Dn. LEONHARTI HUTTERI,

S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ

V Vitebergensi Publici discutiendam

proponit

M. IOHANNES IACOBVS RVLICHIVS,
Augustanus V.

Ad diem 22. Martij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.



Nobilissimis, Amplissimis,
Prudentissimisque viris

Dn. ALBERTO à STETTEN, IN
Bocksperg, Consuli,

Dn. WOLFGANGO PALERO, IN
Hammel & Ainhofen, Senatori & Scholarchæ,

Reipubl. AVGVSTANAE Patritijs, & Ecclesiarum
Evangelicarum Curatoribus: earundemque Col-
legij Novi administratoribus:

Nec non

Clarissimis, & Consultissimis, multarum
que rerum usu præstantissimis viris,

Dn. SIMONI TOELMANNO,

Dn. IOH. IACOBO RULLINGERO,
i. V. Doctoribus, & Reipubl. Augustanae Advocatis.

Dn. IOANNI VDALRICO RUMLERO,
Medicinæ Doctore excellentissimo,

Dominis Mæcenatibus, patronis, promotoribus & fau-
toribus suis summo studio colendis, in honoris
& observantiæ symbolum offerre &
nuncupare voluit, certè
debut

M. Iohannes Iacobus Rulichius A.



Disputatio V.
De
PERSPICUITATE
SCRIPTURÆ.

THESIS I.



D figmentorum humanorum, quibus Pontificij Sacram Scripturam impiè & reluctante propria ipsorum conscientia depravarunt, farraginem, vel maxime pertinet controversia illa, quæ nobis cum gente Loelistica intercedit, de perspicuitate Sacrarum tabularum.

II.

*V*bi de hac dicturi controversia, fundamenti loco præmittendum erit, præceptum illud Christi Ioh. 5, v. 39. ἐρευνᾶται τὰς γραφὰς scrutamini Scripturas.

III.

*Q*uo præcepto omnes omninò homines, sive sint Ecclesiastici sive Politici ordinis, tam Laicos (ut vocant) quam Clericos, sedulò in lectione & meditatione Sacrarum tabularum Servator esse voluit.

IV.

*C*um enim verbum DEI unica sit regula, ad quam omnes omninò controversiæ, quotquot vel unquam orta sunt, vel adhuc oriri possunt, examinentur, & unumquemque de salute sua certum esse oporteat, justusquè sua vivat fide. Hab. 2. v. 4. hinc vel sole meridiano clarius liquet ad omnes omninò sacri codicis lectionem pertinere.

Andradus.

V.
Quia verò Pontificij è re sua haud fore facile animadver-
tunt: si vel se in has conijciant angustias, ut omnibus alijs præsidijs destituti, à sola Canonica Scriptura fidem mutuentur; vel Laicos quos exinde illorum imposturas animadversuros metuant, ad earum lectionem admittant.

VI.

Ideò Sacram Scripturam indubiam, incertam, obscuram, & difficilem (quæ difficultas satis firmum argumentum sit, ut non omnes ad earum lectionem admitti debeant) Romanenses esse dicunt, eamquè numeris Platonis & anigmatis Sphynxis conferre haud verentur: Eccius certe Evangelium nigrum & Scripturam atramentariam indigitare non erubuit.

VII.

Hæc ergò fuit à Qoepu & occasio illa, quâ mox sub initium Reformationis Evangelicæ controversia de perspicuitate Scripturæ Canonice agitari cœpit.

VIII.

Eccius in
ench. suo in
loc. 4. de
Scriptura.

Vt autem ea dilucidior fiat, exactè controversia status ponderandus est, quem Pontificij pro ut in more ipsis positum est, multis modis depravant, & consequenter ex falsis præsuppositis nostras Ecclesias detestandis calumniis gravare non erubescunt scribentes Lutheranos contendere Scripturas Sacras adeò esse claras & perspicuas, ut quilibet indifferenter Laici, & qualibet deliræ anus eas tractare, intelligere, & interpretari possint.

IX.

I.

Initiò itaque non de eo controversitur, an singula & universa capita doctrine Christianæ in sacro codice comprehensa, naturâ nobis sint nota, ut à quovis etiam non regenerato, & à Spiritu Sancto non illuminato, intelligi possint.

X.

Pro huius enim sententia negativa, nos ipsi accerrimè pugnamus cum Apostolo, 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: Stultitia enim illi est, & non potest

potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Invocandus est
DEVS cum Davide: da mihi intellectum. & scrutabor legem
tuam; item revela oculos meos, & considerabo mirabilia de le-
ge tua: Et faciem illumina super servum tuum, & doce me iu-
stificationes tuas.

XI.

Neq; de eo controvertitur, an Scriptura Sacra cunctis suis
partibus ita sit perspicua, ut abstrusissima visiones, & Prophetia
nonnulla (quarum multa in Ezechiele & alibi occurrunt) nec
non sententiae quadam Prophetarum & Apostolorum ab omnibus
sine discretionem intelligi possint.

XII.

Nam Scripturam Sacram maris instar se habere, probe novi-
mus, quippe quod in se (ut D. Ambrosius loquitur) sensus habet
profundissimos, altitudinem Prophetiarum anigmatum, adeo
ut si quis ad extremum usq; vitæ halitum scribendo, legendo, me-
ditando, sacris esset de ditus, non tamen omnium quae in illis con-
tinentur, scientiam sibi comparare possit.

XIII.

Ex quibus presuppositis rectè à quolibet Christiano etiam
doctissimo dici statuimus, se plura nescire, quàm scire
in sacris literis, si tamen cum grano salis hoc accipiatur, & eo mo-
do intelligatur, quo Paulus dicit; videmus nunc per speculum in
anigmate: tunc autem à facie ad faciem. Nunc cognosco ex par-
te, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum, I. Cor. 13. v. 12.

XIV.

Neque in eo praesens controversia terminatur, An propter con-
ceptas falsas opiniones scriptura quae aliàs natura sua est luci dis-
sima, obscurior fiat ex accidente. Quin enim hoc fiat sapissimè, ne-
mo iverit inficias. Exemplum esse potest (ut ex multis unum
producam) concio illa Servatoris de passione & morte sua ad di-
scipulos habita: Luc. 18. v. 31. Quid enim clarius dici vel un-
quàm potuit, quàm hoc, Filius hominis tradetur gentibus, &c.
Vbi tamen discipuli, propter praconceptas animo opiniones, de
regno Christi mundano, nihil horum, ut textus habet, intellexe-
runt. Erat enim verbum hoc absconditum ab eis.

3

Sed

2.

Ambros. in
epist. 44. ad
Constantium.

3.

XV,

Sed in hoc cardo rei versatur, an Scriptura Sacra ratione capitum doctrinae sive articulorum fidei, qui ad salutis nostrae negotium pertinent, ita sit perspicua intellectuq; facilis, ut ab ijs, qui primitias Spiritus Sancti acceperunt, & per fidem in Christum sunt illuminati, intelligi possit? An verò ita sit obscura, ut etiam ab his intelligi nequeat, nisi sensus eius genuinus petatur, vel à Patribus, vel ab ijs Doctoribus, quos Synagoga approbavit, vel à Concilijs, vel à Pontifice Romano, in cuius pectoris scrinio lateant omnes thesauri divinae scientiae, licet (si Dijs placet) idiota sit, & proprii nominis immemor, & idola colat, operamq; det artibus diabolicis, adeoque apud se de fide non rectè sentiat.

XVI.

Et sanè pro posteriore questionis huius membro, tanquam pro focus & aris acriter dimicant Pontificij. Nos priores membri affirmativam tenemus, & Ecclesiarum nostrarum propositionem benignè talem proponimus: Scriptura Sacra canonica in rebus fidem ac salutem nostram concernentibus, est perspicua, clara, & ingenitam quandam lucem habet, adeò ut ab homine pio ac fideli, etiam sine testimonio Ecclesiae intelligi possit.

XVII.

Quis enim obsecro eò impietatis progrediatur, ut DEVM sapientissimum illum, & prorsus incomparabilem omnium tum Orationis, tum perspicuitatis Autorem: imò illum ipsum DEVM, qui de voluntate sua, de què salute nostra, nos seriò per Scripturas vult erudire, obscuritatis & flexiloquentiae arguere ausit?

XVIII.

Contrarium sanè liquet ex fine, quem in promulgandis Scripturis canonicis, DEVS vel maximè sibi habuit propositum: qui fuit, ut Scriptura 1. esset norma fidei morumque. 2. esset regula, ad quam omnis doctrina exigatur: 3. esset organon fidei & salutis nostrae. Vbi sanè quantum obscuritatis affingitur, tantum

tantum impietatis & blasphemie in DEVM oritur, ac si ipse
Scripturas Sacras non Lucernam lucentem, sed ænigma quod-
dam esse voluisset.

XXI.

Regius Propheta David ab hac impietate usq; adeo est alie-
nus, ut non dubitet Scripturam Sacram nominare Lucernam &
Lumen, Psalmo 119. v. 105. Lucerna, inquit, pedibus meis ver-
bum tuum, & lumen semitis meis. Cui suffragatur Salomo Pro-
verb. 6. v. 23. Mandatum DOMINI lucerna est, & Lex Lux.

XX.

Quæ verba expendens Augustinus scribit: Quod David
ait, Lucerna pedibus meis verbum tuum DOMINE & lumen
semitis; verbum est, quod Scripturis Sanctis omnibus continetur.

XXI.

Et tanta est vis veritatis, ut Bellarminus etiam fateri ne-
cesse habeat, Davidem legis nomine non intelligere decem illa
præcepta solum, sed omnes divinas Scripturas. Bellarm. lib. 3. de
verbo DEI cap. 2.

XXII.

In quam sententiam D. Petrus scripsit 2. Pet. 1. v. 10. nos
habere firmum sermonem Propheticum, cui rectè faciamus, quod
attendamus, veluti lucernæ splendenti in obscuro loco (λύχνω
Φαίνορι ἐν ἀσχυρῶ τῷ τόπῳ) usq; dum dies illucescat, & lucifer
orietur in cordibus nostris.

XXIII.

Lucerna enim hoc præstat, ut viatori in tenebris viam mon-
stret, ne fortè pedem ad lapidem offendat: Sic quoq; verbum Dei
luce sua ingenita, lucem nobis in cælestem patriam præfert, ne à
via recta ad devia declinemus, & fidei ac salutis jacturam pa-
tiamur.

XXIV.

Quam ob causam Spiritus ipse sanctus, Scripturam eiusmodi
esse lucernam, quæ aperiat oculos nostros, ut à tenebris converta-
mur ad lucem Act. 26. v. 18. det nobis oculos illuminatos men-
ta, & revelationē agnitionis, ut sciamus quæ sit spes ea, ad quam
nos DEVS vocavit, Ephes. 1. v. 18. Adhæc

XXV.

*A*dhac quod sacra Scriptura habet se instar principij, vel inde etiam insigne perspicuitatis argumentum oritur. Ea enim principiorum est conditio, ut sint *ἀπὸ τῆς ἀρχῆς*, quæ nullas probationes alias admittunt: sed ex quibus tanquã *ὑπεροχῆς* cetera omnia probantur.

XXVI.

*P*raterea ut loca iam modò supra, sed paucis, annotata, ad institutum nostrũ ac commodemus. Quid quæso sibi volunt verba hæc Davidis Psal. 119. v. 34. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam: Et vers. 18. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: Et vers. 135. faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me iustificationes tuas: Quid, inquam, hæc testimonia sibi aliud volunt, quàm eos, qui primitias spiritus Sancti acceperunt & fide donati sunt, posse scrutari legem Domini & mirabilia eius, posse meditari & discere ex scripturæ iustificationes DOMINI? neque opus habere ut eò usque assensum suum suspendant, donec vel à Pontifice vel à Concilio aliquo certum Scripturæ sensum cognoverint.

XXVII.

*P*orrò hoc ipsum liquidò adstruit, quod Servator ipse asserit, se non per proverbialia loqui, sed palàm de patre suo annunciare: Ioh. 16. v. 25. Quod idem in ardentissimã suã precatione disertè profitetur: Pater manifestavi nomen tuum hominibus, Ioh. 17. v. 6. Quod D. Apostolus Timotheum suum sacras literas *ΑΠΕΡΟ ΝΟΒΙΣΣΕ* prædicat, quæ ipsum eruditum reddere possint ad salutem, 2. Tim. 3. v. 15.

XXVIII.

*E*t profectò cum universa doctrina Religionis Christianæ duobus absolvatur capitibus: Lege & Evangelio: utroque maxime perspicuo: nihil certè relinquitur, quod obscuritatis notam Scripturis, quoad dogmata fidei morumquè inurere possit.

XXIX.

*L*egis summa continetur Decalogo, eiusquè summa hæc est: *Qui*

Qui fecerit hac Homo, vivet in eis: Item: Maledictus, qui non fecerit omni a qua scripta sunt in libro legis. Quid, quaso, hic obscuritatis? Nihil.

XXX.

Evangelij summa hac est: Sic DEVS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsam non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ioh. 3. v. 16. quid, quaso, hic obscuritatis? Nihil.

XXXI.

Iam si Scripturam cum Patribus conferre velimus, maior certe in Tertulliano, Origine, Hieronymo, Scolasticis Doctoribus, & alijs, quam in Scripturis Canonicis difficultas deprehenditur.

XXXII.

Imò saepissimè accidit, ut interpretatio Scripturae, quae datur à Patribus, obscurior sit ipso textu: id quod ex ipsorummet monumentis ad oculos demonstrare, haud ita laboriosum esset.

XXXIII.

His addi potest argumentum ab antiquitate sumptum, cuius auctoritatem cum Romanenses magnifaciant, placet in ipsorum gratiam pauca quadam ex Patribus annotare.

XXXIV.

Ac ex Graecis primo statim in limine occurrit Chrysostomus in 2. Thessal. homil. 3. Omnia (inquit) clara sunt & plena ex Scripturis divinis, quaecumque necessaria sunt manifesta sunt. Et de Iohanne hac eius extant verba: huius doctrina sole clarior est atque illustrior, Cyrillus adversus Iulianum cap. 7. ut omnibus essent nota parvis & magnis, utiliter familiari sermone commendata sunt, ita ut nullius captum transcendat. Et Epiphanius haeresi 69. πάντες σαφῆ ἐν τῇ θεῖα γραφῇ τοῖς ἑσλαμένοις εὐσεβεῖ λογισμῶ προσέχεσθαι τῷ θεῖω λόγῳ.

XXXV.

Inter Latinos Lactantius de vero cultu lib. 6. cap. 21. hac profert. Num DEVS & mentis, & vocis, & linguae artifex loqui non potest? Imò summa providentia suco carere voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intelligerent, quae ipse omnibus loquebatur. Apud Augustinum lib. de doctrina Christiana

B

hac

hæc verba reperiuntur: In his qua apertè posita sunt in Scriptura
inveniuntur illa omnia, qua continent fidem, moresq; vivendi,
spem scilicet & charitatem. Hieronymus comparat Apostolos &
Prophetas cum Philosophis, & ait, Platonem paucis scripsisse,
quia vix tres homines intelligunt: Apostolos verò & Prophe-
tas, quos eo in loco Principes Ecclesie, & Principes Christi vocat,
non paucis, sed universo populo scripsisse.

XX XVI.

Pontificij hanc Scriptura perspicuitatem, quam Spiritus San-
ctus in animis fidelium ob signavit, negant, apertè contenden-
tes, in illis, qua Scriptura de dogmatibus fidei & salutis nostra
proponit, nullum certum, perspicuum & immortum reperiri sen-
sum: donec accedat vox & autoritas Ecclesie.

XX XVII.

Tridentinum quidem Concilium nihil hac de re disertè con-
stituit. Ex alijs ergo Adversariorum scriptis investigare liceat.
Sic autem Thesis suam proponunt Colonienses pag. 117. Cens. O-
mnia & singula, qua in Scripturis comprehensa sunt, tantis ob-
voluta sunt obscuritatibus, ut ne doctissimi quidem certam co-
gnitionem inde colligere possint, nisi eam aliunde mutuentur.

XX XVIII.

Quibus addi potest Canisius in opere Catech. p. 44. Bellar-
minus, Hosius lib. 3. de Ecclesia contra Brentium. Lindanus in
Panoplia lib. 3. cap. 6. Stapletonus lib. 10. cap. 2. Rhemenses in
annotat. in 2. Pet. 3. 16. Et Prateolus in elencho hereticorum lib.
16. cap. 20.

XX XIX.

Nos sane, quod attinet Romanensiam doctrinam, ultrò fa-
temur, hoc respectu Sacras literas non modò esse obscuras, sed &
obscurissimas. Quandoquidem doctrinalia, quibus à nostris Ec-
clesiis dissentunt, etiamsi omnes Sacrarum literarum angulos
excutias, nullibi reperiuntur.

XL.

Nemo autem nostrum tam prodigiosè absurdus est, qui Scri-
pturam tam facilem & perspicuam esse dicat, ut nulla prorsus
interpre-

interpretatione indigeat, uti Romanenses præter meritum nos
insimulare solent. Interpretationem enim ipsi admittimus, imò
urgemus, sed talem, qua nec ex cerebro Pontificis Romani, non
ex decretis Conciliorum, non ex placitis synagoga Romana; sed
ex Scripturis ipsis unice petitur. & informatur eo modo, quem
subsequens Disputatio VIII. expediet.

XLI.

Neque Romanensium errori patrocinator, quod heretici
quoque ad Scripturas provocant, & ex ijs errores suos stabilire
conantur. Nam Accidentis vitium hoc esse, ultrò patet. Et cum
res non desinat per & propter abusum, quis est, qui propterea le-
ges obscuras dicere velit, quia tyranni ad iniustitiam suam pal-
liandam illis abutuntur.

XLII.

Sic quod heretici, quòd alij obstinati ad solem iustitiae clau-
dunt oculos suos, & sese tenebris humanarum traditionum,
plusquàm Cimmerijs involvunt, causa est nò aliqua verbi divini
obscuritas circa articulos fidei: sed ipsa istorum hominum per-
vicacia, qui cum charitatem in verbo DEI elucentem, inde-
què dependentem caelestem veritatem, aversentur, negligant,
contemnant, ideò mittit illis DEVS efficaciam erroris, ut credant
mendacio. 2. Thess. 2.

XLIII.

Neque inde etiam presidij aliquid ad Romanensium erro-
rem accedit, quod DEVS (nobis etiam id fatentibus) bene multa
in Scripturis esse obscura neque indifferenter omnibus homini-
bus intellectum Scriptura statim elucescere voluit. Non enim
ideò hoc factum, ut innueret pest habitis Scripturis ipsis, Ecclesia
vocem atque interpretationem simpliciter & absolute ample-
xandam: eaq; unice & indubitato standum esse: uti Romanen-
ses nostri per crassam Sophisticationem tã pñ aitis, tã aitis, in-
solenter argumentari solent. Sed habuit DEVS huius sui facti
causas alias longè gravissimas, quas ipsi quoque Patres assigna-
re solent: 1. ut nos ad preces & implorationem Spiritus Sancti

pro dono intelligentia alacriores redderet. 2. ut studium nostrum, in meditando positum, excitaret. 3. ut Scripturarum fastidium & contemptum tolleret. 4. ut autoritatem earum planè divinam ac Sacrosanctam nobis commendatiorem redderet. 5. ut ne Sanctum canibus, & margaritas porcis proijceret. 6. Ut alij docentium, alij discantium partes sustinerent.

XLIV.

Sed hinc pedem figimus; & pro infallibilibus donis, quæ ad Ecclesiam hinc in terris militantem, ex perspicuitate Scripturarum cumulatissimè redundant, DEO fonti ac largitori omnis boni, gratias agimus immortales: Ipsi sit gloria, honos & benedictio seculis infinitis. Amen.



94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679




Sb.

Retro

VD 17







DISPUTATIO THEOLOGICA V. 29

De

PERSPICVITATE Scripturæ,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ
VVitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. IOHANNES IACOBVS RVLICHIVS,
Augustanus V.

Ad diem 22. Martij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.